

Prodúcens foenum jumentis, * et herbam servituti hóminum:

Ut edúcas panem de terra: * et vinum laetíficet cor hóminis:

Ut exhílares fáciem in óleo, * et panis cor hóminis confírmet.

Saturabúntur ligna campi, et cedri Libani, quas plantávit: * illic pásseres nidificábunt.

Heródii domus dux est eórum: * montes exeélisi cervis: petra refúgium herináciis.

Facit lunam in témpora: * sol cognóvit occásu suum.

Posuísti ténebras, et facta est nox: * in ipsa pertransíbunt omnes béstiae silvae.

Catuli leónum rugiéntes, ut rapiant, * et querant a Deo escam sibi.

Ortus est sol, et congregáti sunt: * et in cubílibus suis collocabúntur.

Exíbit homo ad opus suum: * et ad operationem suam usque ad vésperum.

Quam magnificáta sunt ópera tua, Dómine! * ómnia in sapiéntia fecísti: * impléta est terra possesióne tua.

Hoc mare magnum et spatiósum máribus: * illic repetília, quorum non est númerus.

Animália pusílla cum magnis: * illic naves pertransíbunt.

Draco iste, quem formásti ad illudendum ei: * ómnia a te expéctant, ut des illis escam in témpore.

Dante te illis, cólligent: * aperiénte te manum tuam, ómnia implebúntur bonitáte.

Averténte autem te fáciem, turbabúntur: * auferes spíritum eórum, et deficient, et in púlverem suum reverténtur.

Emíttis spíritum tuum et creabúntur: * et renovábis fáciem terrae.

Sit glória Dómini in saéculum: * laetábitur Dóminus in opéribus suis:

Qui réspicit terram, et facit eam

trémere: * qui tangit montes et fumigant.

Cantábo Dómino in vita mea: * psallam Deo meo quámdu sum.

Jucúndum sit ei elóquium meum: * ego vero delectábor in Dómino.

Deficiant peccatóres a terra, et infíqui ita ut non sint: * benedic ánima mea Dómino.

Repetita antiphona Benedicens dicit:

Ÿ. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

Ÿ. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Concede nos famulos tuos, quaesumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere et gloriosa Beatae Mariae semper Virginis intercessione a praesenti liberari tristitia et aeterna perfrui laetitia. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Oremus. Deus, qui ambulas super pennas ventorum et facis mirabilia solus; concede, ut cum per vim huic metallo inditam fulmineo ictu celerius huc absentia et hinc alio praesentia transmittis, ita nos inventis novis edocti, tua gratia opitulante, promptius et facilius ad te venire valeamus. Per Christum Dominum nostrum.

R. Amen.

Deinde aspergit cum aqua benedicta.

Die 6. Aprilis 1865.

TEMPUS.

1) Celebrandi missam.

Vd.: *Sacerdos* (celebrans ex oblig. propt. populi commod.); *Missae* (hora); *Tabella horaria*.

Romana.

S. Rituum Congregatio censuit concedi posse, ut propter magnam populi et eleemosynarum concurrentiam per-

petuo in Ecclesia B. Mariae ut dicitur de Pianto in Urbe celebrari possint missae defunctorum una hora post meridiem, etiam festivis duplicibus dummodo non sint de praecepto; et litteras in forma brevis expediri mandavit, prout officiales dictae Ecclesiae SSmo supplicarunt, qui preces remisit ad ipsam Sacram Congregationem.

Die 24. Novembris 1668.

Anal. J. P. 1865 pag. 1156. num. 1849.

Mutinen.

Rector et administratores Ecclesiae s. Georgii civitatis Mutinen. petierunt facultatem celebrandi missam in praefata ecclesia ratione concursus populi per horam post meridiem, et S. Rituum Congregatio mandavit mihi secretario, quod oretenus eos praemonerem absque ulla licentia licere per dimidium horae post meridiem, scilicet circa meridiem id intelligi posse.

Die 8. Maji 1655.

(Anal. J. P. 1863 p. 328.)

2) Missae vot. sol. celebrandae.

Vd.: *Missae vot. sol.* (hora t. II. p. 245.)

Ad dub. I: An Missae votivae solemnes celebrari debeant post Tertiam vel post Nonam juxta regulam generalem Missarum votivarum?

II: Quum pluries declaratum fuerit sive a Sacra Rituum Congregatione sive a Cardinale Caprara in instructione data die 21. Junii 1804 ad Vicarium Generalem Mechliniensem praedictas Missas de Epiphania etc. in Dominica infra octavam more votivo esse celebrandas, quaeritur: utrum consequenter Hora solemniter cantata in his Dominicis ante Missam votivam pontificalem debeat esse de Officio occurrente in calendario, prout moris

est, ante alias missas votivas pontificales et sicuti regula generali statuitur in praedicta instructione Cardinalis Legati de Officio his Dominicis tam publice quam privatim juxta rubricas occurrentes recitando? Vel contra morem aliarum Missarum votivarum et per aliquam exceptionem ad regulam generalem a Cardinali traditam, haec hora debeat esse conformis Officio Missae votivae?

S. C. resp. ad I: Post Nonam juxta rubricas;

ad II: Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Die 12. Augusti 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2189.)

3) Intra quod temp. Missa celebranda est?

Vd.: *Missae* (tempus); *Visitatio* (de missae celebr.)

Ex constitut. Canon. reg. Ord. s. Augustini Cong. Colimbric.

Sacerdotes denique magna cum devotione ac reverentia quotidie missam celebrabunt, nisi sint legitime impediti, in cujus celebratione mediam insument horam paulo plus minusve, et horae quadrantem in gratiarum actione. Qui autem sacerdotes non fuerint, quotidie missam audient praeter illam, cui conventualiter in choro adsunt.

Die 17. Julii 1783.

(Bull. r. Contin. t. VII. pag. 150. Ed. Romae.)

Ex constitut. Ord. s. Pauli I. eremitae Congreg. Lusitaniae.

Pius PP. VI.

Sacerdotes nostri, ni justa impediuntur causa quotidie (exceptis tamen quinta et sexta feriis ac sabatho majoris hebdomadae celebrabunt de-

vote, modeste majorique, qua poterunt reverentia. Dum celebrant animadvertant attente propriis sese manibus illum tractare, qui omnium Deus est ac dominus, ipsosque ex nihilo creavit ac ad id dignitatis evexit ac tandem cum rerum omnium finis advenerit, judicabit. Proprio exemplo adstantes alliciant, quo sancto huic mysterio devote etiam ac reverenter adstant. Tres horae quadrantes celebrando (ni missa de passione sit) non exsuperent; neque minus quam circiter semihorae tempus insumant, nisi defunctorum missam celebrent. Quam possunt accuratissime caeremonias ac rubricas omnes exequantur, in quibus a caeremoniarum magistro instituti, deque eisdem ab eodem exquiri antequam primum sacrum faciant, quod nunquam cantare poterunt.

Die 16. Novembris 1781.

(Bull. r. Contin. t. VI. p. 377. Ed. Romae.)

Gregorius XVI.

Ex constitut. Societatis Misericordiae.

Jamvero sacras caeremonias ritusque ab Ecclesia praescriptos callenti et in sancta celebratione accurate et diligenter observare volenti semihoram plenam (quod quidem spatium a pluribus piis sacerdotibus requirendum asseritur) in rem divinam impendere necesse erit.

Die 18. Februarii 1834.

(Bull. r. Contin. t. XIX. pag. 320. Ed. Romae.)

Delatum fuit SSmo a nonnullis sacerdotibus tam brevi temporis spatio Sacrosanctum Missae sacrificium peragi, ut non sine scandalosa confusione et irreverentia tremendum hoc mysterium tractetur. Ad debitam itaque venerationem instaurandam proposita fuere Sanctitati tuae et ab eodem remissa

ad hanc Sacram Congregationem pro examine infrascripta remedia:

1. Praescribendum seu potius declarandum non posse absque indecentia missam celebrari minori temporis spatio, quam sesquiquadrantis unius horae.

2. Ad haec declarandum in hoc non dari parvitatem materiae.

3. Adversus contravenientes infligendam poenam suspensionis et pecuniarum.

4. Proinde retinendum in quolibet altari elepsydrum quae currere incipiat in Introitu.

5. Si quis ante elapsedam elepsydrum missam expleverit, contravenisse censeatur.

6. Et nihilominus sacerdos, donec integre arenula excurrat, in altari stare teneatur, ut suae irreverentiae poenam et hanc publici pudoris sentiat.

7. Quod si non steterit in poenam excommunicationis ipso facto incurrat.

8. Acolythus contraventorem ad puerum, ut is ad ordinarium deferat.

9. Super his autem edendam Constitutionem.

10. Eamque quolibet anno et in qualibet ecclesia legendam et populo explicandam.

„Secretarius exponat SSmo S. Congr. quoad dubia judicasse a 1. usque ad X. inclusive: Sufficenter provideri literis circularibus ad Episcopos dirigendis, quibus eisdem injungatur ut diligenter curent, quod Sacerdotes tam saeculares quam regulares debita cum reverentia celebrent.

Die 26. Martii 1678.

(Anal. J. P. 1864 p. 978.)

4) Intra quod temp. missae receptae celebrandae sunt?

Vd. t. III. pars. II. pag. 150, 151, 164 167.

5) Intra quod temp. Officium recitandum?

Obligatio Ecclesiasticorum ut divinum officium recitent non a jure divino sed positivo oritur in cap.: *Dolentes de celebrat. Miss.*, neque in hoc aut alio juris ecclesiastici loco praescribitur hora, ut protrahi vel properari possit, dummodo intra viginti quatuor horas integrum celebratur, ceu docet *Tamburrin de jur. Abbat. Disput. 10. quaest. 6. n. 1. in fin., et Gavantus in Thesaur. S. Rit. tom. 1. part. 1. sect. 1.*

(Ex res. S. C. C. diei 22. Junii 1805. *Urbinate.*)

6) Recitandi horas min. et complet.

Canere hactenus consuevit Segoviense Capitulum nonam, vespas et completorium pomeridiana hora secunda cum dimidia. Quum hoc autem, aestivo praesertim tempore, grave admodum nocuumque sit interessentibus, supplicat idcirco Capitulum pro ea differenda divini officii parte ad horam tertiam cum dimidia a die 3. Maii ad totam ejusque anni diem 14. Septembris; et haec habet Segoviensis Episcopus: Capitulum denuo per suffragia secreta de mutatione egit, omnesque, tribus demptis, mutationem volunt. Usu et consuetudine receptum est praedictas horas canonicas hora secunda et dimidia cantare; idcirco mutatio non est constitutionibus contraria. In Ecclesia cathedrali Abulensi, quae vicinior est cujusque aeris temperies simillima, nona, vespas et completorium hora tertia et dimidia persolvuntur. Ex mutatione nullum populo scandalum aut detrimentum praebebitur. Demum existimo, preces veras esse; nam Canonici frequentius commodiusque praedictis horis adesse procul dubio possunt, si in horam tertiam et dimidiam, qua calor aestivus declinat, transferantur.

Recitandum est divinum officium congruis horis, ita ut quaelibet canonica hora gradatim respondeat horae diei, ut ex cap. 2. de offic. *Archipresbyteri*, notat *Fagnan.* in lib. 3. decretal. cap. 1. de celebrat. Miss. num. 6. Nonae igitur et vespas congruentior est hora secunda cum dimidia promeridiana juxta consuetudinem Segoviensis Capituli; facileque idcirco mutandum non videtur, quod ab eo secundum canonicam legem servatur, *Fagnan.* in lib. 1. decretal. cap. consuetudines, de consuetud. n. 14. At hora tertia cum dimidia, ad quam transferri postulat Capitulum promeridiani officii cantum, magis proxima est horae completorii, quod in memoriam sepulturae Christi praecedere debet solis occasum, *Francolin.* de hor. canon. part. 1. cap. 18. Quemadmodum ergo una modo completorium cum nona et vespas anticipatur hora, ita non etiam et vespas una protraherentur hora cum completorio; ac levis propterea esset exigui temporis mutatio. Gratiam hanc mereri posset Capitulum ob grave aestivi caloris incommodum in accessu ad chorum promeridiana hora secunda et dimidia, ob Constitutiones capitulares variationi non resistentes, et quia Episcopo teste ex mutatione nullum populo scandalum aut detrimentum praebebitur. Ex his porro similibusque de causis permittitur in recitatione divini Officii horarum mutatio, *Brasch.* in prompt. synod. cap. 86. num. 18. et sequ., *Ceccoper.* lucubrat. canon. lib. 2. num. 20., *Benedict.* XIV. instit. 107. §. 4. num. 20. Atque exemplum est in Abulen. Servitii chori 23. Januarii 1790.

Deliberandum itaque proponitur:

An et qua hora sit canenda nona, vespas et completorium in casu?

S. C. resp.: Affirmative ad formam precum.

Die 25. Januarii et 8. Februarii 1794.

7) Recitandi Matut. et Laudes.

Vd. t. III. pars. I. p. 253. n. 5.; vd.: *Matut. et Laud.*; *Nativit. Dom.*; *Vesp.* (tempus.)

Indiarum seu Ilasclanen.

Moniales SSmae Trinitatis loci dicti la Puebla de los Angeles in Indiis ordinis Conceptionis B. V. exponentes ob malam qualitatem loci et aeris praecipue nocturni pati gravissimas infirmitates eundo ad matutinum supplicarunt pro licentia recitandi matutinum vespere diei praecedentis post salutationem angelicam. Nec non petierunt licentiam recitandi qualibet feria V. non impedita officium sanctissimi Sacramenti et die sabati officium sanctissimae Conceptionis; et S. Congregatio quoad primum de matutino vespere recitando censuit scribendum Episcopo quod constituto sibi de veritate narratorum concedat licentiam petitam arbitrio suo; quoad reliqua de officio sanctissimi et Conceptionis respondit: Nihil.

Die 4. Julii 1626.

(Anal. P. P. 1863. pag. 188.)

Tascalan.

Moniales s. Hieronymi civitatis nuncupatae de la Puebla dioecesis Tascalan. in Indiis in regno Mexicano exponentes regionem illam excessivo frigori suppositam et monasterium male situatum valetudinique adversum, ideoque eas facile infirmari et nocte algere; unde petierunt facultatem recitandi horas matutinas in prima nocte aut post mediam horam ante salutationem angelicam, et S. Congregatio, constituto de veritate narratorum, concessit in prima nocte arbitrio Episcopi.

Die 17. Junii 1627.

(Anal. J. P. 1863 p. 197.)

Illerden.

Canonici Collegiatae Ecclesiae s. Mariae de Tormansi Illerden. dioecesis recitantes horas matutinas post mediam noctem supplicarunt posse illas recitare vespere de sero aut in aurora, prout recitantur et observatur in omnibus aliis ecclesiis illius dioecesis; et S. Congregatio respondit: Nihil.

Die 10. Februarii 1629.

(Ibid. pag. 210.)

Nemausen.

Canonicorum Collegiatae Ecclesiae s. Petri Balmodien. pro licentia cantandi post completorium de sero matutinum cum laudibus: lectum.

Die 13. Junii 1682.

(Anal. J. P. 1865 pag. 1244. num. 2203.)

Indiarum.

Moniales Conceptionis civitatis Angelorum recitantes matutinas horas in media nocte et ob id causari multas infirmitates monialibus media nocte surgentibus supplicarunt dispensari in aliud tempus. S. C. censuit concedendum arbitrio ordinarii.

Die 29. Julii 1634.

(Anal. J. P. 1863 pag. 260.)

Carthaginen.

Capitulum et Clerus Cathedr. Carthag. ipsis indulgeri postularunt, ut ob aeris intemperiem matutinas media nocte cantari consuetas posthac mane more romano cantare possent.

S. C. resp. *Lectum.*

Die 27. Novembris 1655.

(Ibid. pag. 335.)

Brixien.

Pro parte Joannis Baptistae Averoldi praepositi Ecclesiae parochialis sancti Nazarii Brixiae, Sacrae Rituum Con-

gregationi expositum fuit, solitum fuisse antiquitus per Canonicos et Presbyteros dictae Ecclesiae recitari matutinum sequentis diei in sero post completorium; deinde illud coepisse recitari de mane. Quia vero in dicta ecclesia non sunt assignatae distributiones quotidianae pro Canonicis assistentibus in choro ad horas canonicas experientia compertum est ad matutini recitationem paucos admodum Canonicos seu Presbyteros venire, qui libentius sero accederent et ideo ad matutinum cum majori decentia et sacerdotum frequentia recitetur, idem praepositus petiit licentiam recitandi matutinum de sero post completorium ut antiquitus fiebat. Eadem Sacra Rituum Congregatio licentiam petitam posse concedi censuit et declaravit prout concessit.

Die 24. Septembris 1605.

(Anal. J. P. 1863 p. 47. n. 169.)

Civitatis Angelorum in Indiis.

Pro parte abbatisae et monialium s. Catharinae Senen. in civitate Angelorum novae Hispaniae in Indiis Sacrae Rituum Congregationi expositum fuit, ipsas hactenus juxta suae religionis regulam matutinum media nocte recitare solitas fuisse. Quia tamen experientia compertum est, hac de causa multas ex ipsis monialibus in infirmitatem incidisse, cum in illis partibus dicta hora aer valde noxius sit, nec monasterium commodum habeant et moniales pro majori parte senectute sint gravatae etc. petierunt licentiam recitandi matutinum octava hora noctis et ita adimpleri regulam sui ordinis ac si illud media nocte recitarent.

Eadem Sacra Rituum Congregatio attentis narratis censuit gratiam petitam posse concedi, dummodo matutinum inchoetur hora octava post oc-

casum solis et ita declaravit die 12. Novembris 1605.

(Ibid. p. 50. n. 177.)

Asculana.

Canonici et Capitulum Ecclesiae Asculanae Sacrae Rituum Congregationi exposuerunt quod praeter solitum et non sine magno incommodo et periculo ab eorum Episcopo coguntur accedere ad ecclesiam ad matutinum recitandum albescente die, cum prius per horam post ortum solis et quandoque tardius illud recitare soleant.

Eadem Sacra Rituum Congregatio visis literis Episcopi et habita super praemissis informatione ordinavit, ut signum campanae pro coadunandis Canonicis et Clericis ad matutinum terminetur orto sole et finito signo expectetur adhuc per quartam partem et tunc et non prius matutinum inchoetur. Et ita omnino per Episcopum et alios quoscumque ad quos spectat in civitate Asculana servari mandavit.

Die 16. Septembris 1606.

(Ibid. pag. 61. n. 218.)

Oscen.

In Ecclesia cathedrali Oscen. solitum esse cantari matutinum media nocte SSmo D. N. narratum fuit; et cum ecclesia praedicta aliquantulum distet a corpore civitatis et ob aeris intemperiem, raro admodum et fere nunquam dicta hora Canonicos ejusdem Ecclesiae ad cantandum matutinum, (ut deberent) accedere: unde fit ut a paucis beneficiatis, cum modica decentia et decore matutinum cantetur, qui etiam dicta hora, ob aemulorum seu inimicorum timorem, armati ad se tuendum accedunt. Quare non solum Episcopus, Canonici et Capitulum, sed etiam catholica majestas

per suas literas eidem SSmo D. N. supplicaverunt, ut non obstante dicta consuetudine, horam praedictam mutare dignaretur, ita ut in futurum liceat Canonici, beneficiatis et clericis dictae ecclesiae matutinum cantare occidente sole. Et cum Sanctissimus D. N. negotium hoc in Sacra Rituum Congregatione proponi et discuti mandavit, eadem Sacra Rituum Congregatio, attentis narratis et instantia facta a rege catholico, Episcopo et universo Capitulo, censuit mutandam esse horam matutini, non ad occasum sed ad ortum solis, ut albescente die prima luce in futurum Canonici, Capitulo et Clero dictae Ecclesiae cathedralis Oscen. matutinum primo et deinde caeteras horas canonicas recitare seu decantare liceat et ita declaravit die 21. Julii 1607.

Et Sanctissimus D. N. audita Congregationis opinionem per nostram relationem Sanctitati Suae in consistorio secreto facta, ejusdem Congregationis sententiam laudavit, approbavit et exequi mandavit. Die 30. ejusdem mensis Julii 1707.

(Ibid. p. 72. n. 252.)

Vd.: Chorus.

Montis Politiani.

(Conc. Tr. C. 12. S. 24. de Ref.)

Venerabilis Dei servus Cardinalis Robertus Bellarminus in constitutionibus, quas edidit, pro regimine novae Cathedralis Montis Politiani, quaeque subinde auctoritate apostolica fuerunt confirmatae, decrevit, ut matutinum Officium in posterum diceretur mane circa ortum solis vel non diu postea et juxta hanc legem preces matutinae et laudes circa ortum solis et tempore hyemali una hora post ortum solis recitatae sunt.

Ita res se habuit usque ad annum

1715, quo decurrente cum Canonici capitulariter uniti, communi calculo, exceptis duobus, resolutionem fecissent de habendo recursum, prout habuerunt ad hanc Sacram Congregationem pro mutatione horae matutini, hoc est pro facultate illud recitandi de sero, a Calendis videlicet Novembris ad totum mensem Aprilis, non obstante, quod aliter statutum fuisset in constitutionibus apostolica auctoritate roboratis, uti ingenue exposuerunt, datae sunt literae juxta morem Episcopo pro informatione et voto.

Episcopi informatio fuit favorabilis petitioni Canoniorum, ponderatoque, quod Cathedralis erat sita in cacumine montis, quod Canonici tuendae valetudinis gratia tempore hyemali se abstinebant a choro, quod gratia demum non carebat exemplo in provincia, cum in Ecclesia Pisana, Volaterana, Clusina, Cortonensi, Collis, s. Miniati et Pientina matutinum Officium diei sequentis recitetur die praecedenti propter aeris subtilitatem, Sacra Congregatio die 3. Octobris 1716 commisit Episcopo Montis Politiani, ut Canonici gratis indulgeret, quod horas matutini et laudum a die immediate sequenti post festum Epiphaniae usque ad diem cinerum exclusive de sero recitare possent et valerent.

Fuit hoc rescriptum executioni mandatum, sed cum post plurium annorum lapsum Canonicus Franciscus Xaverius Aegidii novum ad hanc Sacram Congregationem recursum habuisset instando, ut gratia jam concessa retraheretur, novae ad Episcopum datae sunt literae et Episcopus dubitans de mutata Canoniorum voluntate, cum Capitulum coram se convocasset et secreta singulorum suffragia per fabas albas et nigras de more expetisset, decem ex sedecim Capitularibus nihil esse innovandum censuerunt et sic Matutinum et Laudes

esse recitandas ad tramites decreti editi die 3. Octobris 1716.

Ita legitur in nova Episcopi informatione, in qua idem se revera favorem ostendit et consentientem majori parti Canoniorum, et quia recollendae mem. Antonius Cervinus Episcopus Montis Politiani in suo, cum quo decessit, testamento quasdam distributiones constituit pro sex capellanis matutini recitationi interessentibus: *da tutta la somma del frutto quello che terra l'amministrazione, ritenga per sua mercede annualmente scudi due, ed ogni restante si divida ugualmente fra i detti sei capellani con obbligo d'intervenire tutti quotidianamente a recitare il matutino in detta chiesa Cathedralis, e non in sacristia, come di presente, ma in loro, e mancando ciò fare, quello, che mancherà intervenire resti privo di tal' emolumento,* respondetur a Canonici ex hoc legato nihil aliud inferri posse, quam quod, si capellani praedicti volunt lucrari distributiones, debent recitare matutinum non in sacristia sed in choro, quae res nihil habet commune cum recitatione matutini post Completorium per aliquam anni partem. Jura hinc inde circumferuntur, unde onus erit EE. VV. discernere:

I. An decretum S. Congregationis anni 1716 concedens recitationem matutini cum laudibus de sero post vespas Canonici Cathedralis Montis Politiani substineatur? Et quatenus negative;

II. An matutinum cum laudibus recitari debeat de mane ad formam constitutionis clar. mem. Card. Bellarmini in casu?

S. C. C. resp. ad 1: Affirmative;

ad II: Satis provisum in primo.

Die 26. Junii 1723.

Auximana.

Canonici Cathedralis Ecclesiae Cingulanae ex vetustis capitularibus constitutionibus onus habent interessendi choro per tres vices qualibet die, duas scilicet de mane et unam tempore vespertino. Hoc onus, quod ipsis ultra modum grave asserunt reduci postularunt ad duas tantum vices qualibet die, nimirum mane cum recitatione Matutini et Laudum pro sequenti die. Hujusmodi preces ablegatae fuerunt Eminentissimo Cardinali Episcopo Cingulano, ut supra expositis S. hanc Congregationem redderet instructam et votum suum aperiret. Is enim opinatur: *posse indulgeri, quod utique Canonici praedicti bis tantum qualibet die toto anni tempore in choro inserviant, exceptis diebus festis aliisque Ecclesiae solemnitatibus, ea tamen lege, quod de mane post solis ortum matutinum cum caeteris horis canonicis usque ad Vespas exclusive recitent, nulla interposita interruptione, et deinde post prandium hora consueta persolvant Vespas cum Completorio. Mos hic mihi videtur magis conformis consuetudini illius Ecclesiae Cathedralis et quam plurimis resolutionibus Sacrarum de Urbe Congregationum et tabellae horariae impressae apud Crispin. in tractat. de visit. past. part. 2. cap. 20. num. 11.*

Instantiam modo renovant Canonici, a quibus jura circumferuntur. Animadvertunt enim, Ecclesiam sitam esse in cacumine montis intra civitatem positi distantis tamen a moenibus urbanis per passus fere trecentum et ab habitationibus longe dissiti, ita ut nimis incommodus, imo cum evidenti salutis detrimento sit Canoniorum accessus ad Cathedralis Ecclesiam tam hiemali tempore propter nives, glaciem, pluvii aerisque inclementiam

quam aestivo tempore propter excessivum solis calorem; hinc fit, quod plurimi et praesertim senes vel senectuti proximi choro ad omnia subeunda choralia munera cum detrimento divini cultus non intersunt.

Exemplum asserunt simillimi Indulti ab hac Sacra Congregatione concessi Collegiatae Ecclesiae s. Exuperantii non procul a Cingulana Civitate distantis, cujus Canonici cum triplex et aequae incommodum singulis diebus subirent chori servitium, juxta leges et constitutiones Ecclesiae Cathedralis porrectis precibus huic Sacrae Congregationi pro illius reductione ad binas tantum vices quolibet die geminisque propositis dubiis in haec verba conceptis.

I: An sit concedenda facultas Canonici Collegiatae s. Exuperantii bis tantum qualibet die toto anni tempore in choro conveniendi, exceptis tamen diebus festis aliisque Ecclesiae solemnitatibus in casu etc.?

II: An sit eisdem concedenda etiam facultas celebrandi divina Officia in Capella s. Mariae Angelorum a die 2. Novembris usque ad Sabbatum ante Dominicam Palmarum, exceptis tamen diebus festis aliisque solemnitatibus in casu?

Sacra Congregatio sub die 14. Martii 1772 utrique dubio respondit: *Arbitrio Episcopi.*

An igitur idem Indultum conveniat Canonici Cathedralis Ecclesiae, erit ab E.E. VV. definiendum sub sequenti dubio:

An sit concedenda facultas Dignitatibus et Canonici Ecclesiae Cathedralis Cinguli toto anni tempore recitandi de mane post solis ortum Matutinum cum caeteris Horis canonicis, nulla interposita interruptione et deinde post prandium persolvendi Vesperas cum Completorio in casu?

S. C. resp.: Affirmative pro mensibus Decembris, Januarii, Februarii et Martii tantum, exceptis diebus festis de praecepto, in reliquis negative.

Die 19. Septembris et 21. Novembris 1778.

Concessio recitandi officium matutinum in Ecclesia Cathedrali Pompilonensi septem mensibus Octobris, Novembris, Decembris, Januarii, Februarii, Martii et Aprilis hora quarta cum dimidio et aliis quinque Martii, Junii, Julii, Augusti et Septembris hora sexta post mediam noctem.

Venerabili fratri Episcopo Pompilonensi.

Pius PP. VII.

Venerabilis frater.

Salutem et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Prior, Dignitates et Canonici regulares ordinis sancti Augustini Capitulum istius Cathedralis Ecclesiae Pampilonensis componentes, qui ab ordinaria jurisdictione, prout asserunt, exempti, huic apostolicae Sedi immediate reperiuntur subjecti, quod, cum vigore capitularium constitutionum seu legis foundationis aut alio legitimo titulo officium matutinum canonicum toto anni decursu cum cantu celebrari debeat in dicta Cathedrali Ecclesia post mediam noctem, videlicet vernali et aestivo tempore hora tertia cum dimidio, autumnali vero et hiemali hora quarta cum dimidio, exceptis sabbatis, in quibus aliquantulum protrahitur ob celebrationem Missae Beatae Mariae Virginis, octavis Sanctissimi Corporis Christi et assumptionis Beatae Mariae Virginis, cui dicata est ecclesia, tri-duo majoris hebdomadae et commemoratione omnium fidelium defunctorum, in quibus solemnitatibus vespere diei anterioris persolvitur; cumque praedicti exponentes degant seorsum

cum suis familiis in privatis aedibus canonicalibus in confinio ecclesiae praedictae sitis, quod claustrum externum dicitur, ubi etiam domus aliorum civium saecularium existunt, et dein noctu hyemali praecipue tempore inter frequentes pluvias et nives ad aliud claustrum continens cellas dormitorii, quae perfrigidae sunt, se conferunt et tandem ad ecclesiam ipsam eidem dormitorio haerentem, quae ob positionem et vastitatem frigidissima est ad matutinum persolvendum descendunt, et non sine gravissimo valetudinis detrimento etiam aestivo tempore id exequi potest, et plerumque accidit ob memoratas causas et exiguum Canonorum numerum, inter quos multi emeriti, alii aetate proveci et adversa valetudine laborantes, ut ad summum medietas aut tertia pars communitatis et passim duo, tres, quatuor tantum Canonici ad persolvendum officium matutinum conveniant nec supplere possunt sex capellanos cantores, quia eorum numerus impleri nequit ob deficientiam clericorum et tenuitatem praebendarum. Durante regnis Hispaniarum nuperrima hostili invasione, Capitulum praedictum, uti asserunt, necessarium duxit ob noctissimas perturbationes, officium praedictum transferre ita, ut a die s. Michaelis Archangeli usque ad finem octavae resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi hora quarta post meridiem, reliquo vero anni tempore hora sexta post mediam noctem psalleretur, quae translatio observatur adhuc. Licet autem occupationis hostilis causae cessaverint, non sine magno tamen exponentium valetudinis incommodo hujusmodi horarum distributio in pristinum statum juxta legem foundationis restitui potest ac proinde a Nobis expostulant, ut in posterum perpetuis futuris temporibus praefatum officium matutinum septem mensibus, Octobris,

Novembris, Decembris, Januarii, Februarii, Martii atque Aprilis hora quarta cum dimidio post meridiem et aliis quinque mensibus, videlicet, Maii, Junii, Julii, Augusti et Septembris hora sexta post mediam noctem licite celebrare valeant, servato antiquo in octavis et festis initio expressis, asserentes petitam horarum mutationem Deo majorem gloriam, populo et ipsis utilitatem et commodum allaturam esse.

§. 2. Nos igitur praedictos exponentes specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacunque de causa latis, si quas forte incurrerint, absolventes et absolutos esse censentes, supplicationibus hujusmodi inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus praenarratis et si id in Domino expedire censueris, super quo conscientiam tuam oneramus, praedictis exponentibus ac illorum successoribus in perpetuum, ut ipsi in posterum officium matutinum tantum juxta distributionem horarum superius expressam atque petitam, servata in reliquis statutorum vel constitutionum capitularium Cathedralis praedictae forma et dispositione ac exceptis diebus supra notatis, in quibus servetur antiqua consuetudo, celebrare libere et licite possint et valeant, auctoritate Nostra apostolica concedas atque indulgeas ac cum eis desuper de specialis dono gratiae pro tuo arbitrio et conscientia gratis dispenses.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 25. Junii 1819.

(Bull. r. Contin. t. XV, p. 223. Ed Romae.)